

aliquando in hæresim lapsa fuit, ad catholicam fidem reformare possumus.

V. Quod tam multi pauperes, languidi et miseri ab omnibus deserti undique occurrant. Si enim elevaremus oculos super istorum turbam, diceremus cum Christo: *Misereor super turbam, quia non habent quod manducent.* Unde videtur mihi civitas nostra similis esse piscinæ probati-cæ, in cujus porticibus jacet multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, Joan. V. Quid enim aliud expectare potest tam magna pauperum et afflictorum multitudo nisi motum lacrymarum ex fraterna compassione? Ipsi enim proximi nostri sunt, ex Domini sententia, Luc. X. imo caro et fratres nostri, omnes enim oramus: *Pater noster qui es in cælis.* Duram esse mendicitatem, nec facile optandam docet Salomon, Prov. XXX. cum ait: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum et dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer et perjurem nomen Dei mei.* Gravis est, inquam, mendicitas tum mendicis tum communitati. Jam vero deploranda est partim divitum duritia, qui pauperibus non succurrunt; partim pauperum ipsorum culpa, qui sæpe ipsimet causa paupertatis suæ sunt, dum vel furtis et mendaciis victum quærunt, vel dum horum hebdomadarium interdum festis diebus totum consumunt ludendo vel potando.

VI. Quod nesciamus quid unicuique nostrum in reliquo vitæ curriculo eventurum sit. Alius forte nobis ad extremam paupertatem redigetur; alius fortasse turpiter vitam finiet; alius ante mortem immensos sustinebit dolores, et non omnes dolores mortis; alius repente et improvise extinguetur; alius sine pœnitentia; alius forte sibi ipsi manus inferet et desperabit; alii morte violenta peribunt. Hæc enim fieri videmus crebro, et quod crebro fit, merito metuimus. Itaque in die bonorum, memor esto malorum. Unde Dominus: *In hac die tuâ quæ ad pacem tibi, venient dies in te, etc.* Vultis exemplum? Ugolinus factionis Guelphorum princeps, cum adversariis Gibellinis vel pulsus vel percussis omnia regeret, die suo natali omnes suos ad convivium invitavit, ubi se suamque fortunam prædicans, unum ex suis interrogavit, numquid sibi deesset: ille quasi præagus respondit: *Sola numinis ira, procul diuque abesse a rebus tam secundis non potest.* Itaque Guelphorum viribus consenescentibus, Gibellini armis correptis ædes ejus circumstant, oppugnant; unum ex filiis, unumque nepotem vim arcere conatos occidunt, ipsum et duos filios et tres nepotes in turrim includunt, obseratis foribus, clavibusque in Arnum flumen dejectis. Ibi fame in oculis

suis, in gremio suo charissima pignora parens moriens morientia vidit. Vociferanti exposcentique ut humanis suppliciis essent contenti, sacræ confessionis et sancti viatici potestas facta non est, uti refert Paulus Æmilius, l. VIII. histor. Francor.

VII. Quod aliqui e nobis merito præsumi possunt, esse de numero damnandorum. Si enim S. Chrysostomus in publica concione dixit, e tota Antiochia (ubi is concionabatur episcopus) quæ maxima tamen civitas erat, vix centum salvandos, quid videtur nobis? Ita enim homil. XL. ad pop. Antioch. ait: *Quot esse putatis in civitate nostra qui salvi fiant? Infestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur quin et de his dubito.* Sic ille. Dominum testem habemus, plures ambulare per latam perditionis viam, paucos per aretam salutis. Nos ergo timeamus, ne etiam e nobis major pars damnanda sit. Et si unum tantum aliquem eumque incertum e nobis damnandum sciremus nonne jure merito omnes timeremus? Dixerat aliquando Dominus suis discipulis duodecim: *Unus vestrum me traditurus est, et omnes fuere turbati ac dixere: Numquid ego? et tamen poterat traditor agere pœnitentiam.* Quid ergo si audiremus unum e nobis damnandum? Quam recte igitur monet apostolus ad Philipp. II. *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.*

Et tamen inter hæc omnia lætantur adhuc homines, saltant, jubillant, vivuntque securissime non advertentes, quales interim iudicium illis conscribat Deus.

Hæc igitur cogitemus et caveamus, auditores, ne forte nobis eveniat quod Jerosolymæ, quod Sodomæ, quod nuper oppido Plures, et nuper rime Magdeburgo, quod incendio vastatum ab ipsis incois audivimus, cum in potestatem catholicorum venisset. Ploremus in nos ipsos, ne aliquando veniant super nos dies illi, quibus dicturi simus montibus: *Cadite super nos, et collibus: Operite nos.*

### CONCIO III.

QUID DOCEANT NOS CHRISTI LACRYMÆ.

I. Docent quantum malum sit peccatum. — II. Docent modum eluendi peccata. — III. Docent tempore prosperitatis meminisse adversitatis. — IV. Docent misericordem simul et justum esse. — V. Docent miseris proximi condolendum.

#### THEMA.

*Videns civitatem flevit super eam.* Luc. XIX.

Pretiosum vini genus est, quod vocatur ab

Italæ lacrymæ Christi, ob vini illius præstantiam; sed nullum est in terram vinum, quod lacrymis Christi comparari queat, quantumvis sit pretiosum. Vinum enim potantem decipit et intellectum alioqui illuminatum cæcat, hominem de statu suo dejicit, et ex homine brutum facit: lacrymæ vero Christi contra intellectum alioqui cæcum illuminant et præclaris doctrinis imbuunt; hominem ex vili ad nobilem statum evehunt, adeoque e bruto hominem faciunt. Hoc igitur vinum, auditores, utinam nos bibamus. Bibemus autem, si mente sedula expenderit quid nobis documentum lacrymæ propinent.

I. Docent quantum malum sit peccatum, quod Deum lacrymari facit. Nemo nescit viros graves et sapientes vix aut non nisi gravissima ex causa lacrymari; deinde, tempore lætitiæ exulant lacrymæ; denique, in aliena causa rarius ploratur, quam in propria. Flet hodierno in evangelio, non homo, sed Deus; flet in medio suo triumpho, dum ipsi Jerosolymam ingredienti acclamatur: *Hosanna, benedictus qui venit:* flet ob alienam miseriam. Quis hic non obstupescat? Quæ tanta esse miseria potest, ut Dei cor liquefacere et in lacrymas resolvere queat? Num forte quia prævidit turrium et mœniorum fortissimorum ruinam? Palatiorum pulcherrimorum excidium? Num deplorat hominum interfectionem eis imminentem et stragem? Non sane, quia cum hæc omnia temporalia et corporalia damna sint, Deum ad fletum permovere non potuissent: alioqui suammet potius passionem et mortem jam accelerantem deffere debuisset. Flet igitur ob cæcitatē Judæorum, ob quam Judæos, et in qua eos morituros prævidebat: ut indicant illa ejus verba: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ,* q. d. non doleo præcise quia vastanda es, sed quia vastanda ob tuam cæcitatē et obstinationem. Simili exemplo David vehementer quidem deflevit mortem et cædem Absalonis filii, sed non tam corporalem, quam spiritualem, quia in peccato mortuum esse merito timebat, II. Reg. XVIII. alioquin enim ob infantis filii mortem nihil flevit, II. Reg. XII. Igitur uti David pro Absalone mori optabat, dicens: *Fili mi, Absalon, Absalon, fili mi, quis mihi tribuat ut ego meriar pro te?* ita Christus hodie expetit mori pro Jerosolyma, et revera post paucos dies mortuus est, licet non idcirco Judæi illi conversi sint. Concludamus igitur jam, si Deus lacrymetur ob peccatum hominum quod mortem æternam illis affert: si lacrymetur in ipso lætitiæ suæ festo: si optet pro iis mori et revera mortuus est, o quantum malum esse peccatum debet, et quam

gravis pœna peccati; ac proinde quam audax ille, qui peccatum perpetrare audeat! Quid enim sentire deberet filius dissolutus, qui vitam in sceleribus transigit, si quando audiret, patrem suum lacrymari et vellere sibi canos, ipsamque mortem optare ob filii dissolutam vitam? Nonne ei diceremus: Vide quid feceris, in quantas animi angustias patrem tuum redegeris. Ipse propter te seipsum conficit et tantum non mac-tat, nunc adhuc perges in isto vivendi modo? Et patris tui afflictionem augebis? Hoc certe tunc Jerosolymæ dicere potuissemus, idque etiamnum dicere cuivis peccatori possumus, etsi enim in hodierno evangelio Dominus non deflevit peccata omnium, sed Jerosolymitanorum tantum, deflevit tamen omnium peccata in cruce, ubi et pro iis luit: *Cum clamore valido et lacrymis,* ut ait Apostolus ad Hebr. V. O perditum igitur et abominandum peccatorem, qui Deum contristare et lacrymis affligere audeat: *Lætabitur Dominus in operibus suis,* ait David, Psal. CIII. solus homo eum contristat. Colligimus etiam hinc quanta futura sit pœna, quæ peccatorem manet. Si enim videres iudicem aliquem prius abunde flere super aliquem reum, quam sententiam condemnationis in eum juxta præscriptum juris proferat, nonne conjectares gravissimum fore rei supplicium? Deplorat Christus Jerosolymam, antequam condemnet, quia nimirum viderat in libro decretorum Dei, supplicium ejus æternum, omnia mundi supplicia longissime excedens. Igitur Christus iudex super te, o peccator plorat, et tu rides: *O si cognovisses, et tu!* supplicium videlicet tuum, fleres utique, et quidem sanguineas lacrymas.

II. Docent (o salutaris et pretiosæ lacrymæ) modum eluendi peccata et iram Dei imminuentem evadendi: per fletum videlicet et compunctionis lacrymas. Flendo itaque super Jerosolymam, docet ejus cives sibi tum adstantes, quod si et ipsi flere super se vellent, iudicium sibi paratum facile evitare possent. Hoc enim indicat in hodierno evangelio, dicens: *Quia si cognovisses et tu,* (supple) fleres, ut exponit S. Gregor. hom. XXXIX. Idque paulo post in passione, expresse eis dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros, quoniam ecce dies venient, in quibus dicent montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos,* Luc. XXIII. Non egebat Christus lacrymis: quia peccator non erat; egebant autem Jerosolymitani. Igitur si isti flere super se voluissent, prout docebantur a Christo, peccata sua delevisissent, et sententiam damnationis in se latam revocassent, omniaque Romanorum castra, machinas et arietes simul

dissolvissent. Hoc enim pulchre insinuat videntur Ezech. IV. ubi Deus hanc ipsam Jerosolymæ obsidionem, ut vult Rupertus Tutiensis, præfigurans et prædicens ait: *Fili hominis sume tibi laterem et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones et comportabis aggerem et dabis contra eam castra et pones arietes in gyro.* Quo loco docet Lyranus, laterem crudum et incoctum intelligi, in quo scribi posset. Ex quo sequitur, figuras illas obsidionis in latere crudo depictas, modica aqua facile deleri potuisse, si ea affusa fuisset, atque ita rem habituram fuisse cum Jerosolymitana obsidione: omnes videlicet Romanorum machinas in nihilum redigendas, si vel modicum flere peccata sua Judæi voluissent. Neque hoc figmentum est, res ipsa loquitur. Primo, Scriptura, Ezech. XVIII. *Si impius egerit penitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: secundo, exempla: Ezech. regi dicitur a Deo sententia mortis, IV. Reg. XX. flevit Ezechias, et statim mutatur decretum, et dicitur a Deo: *Vidi lacrymas tuas, ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos*, Isa. XXXVIII. Niniuitis dicitur dies exitii, Jon. III. *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*; currunt illi ad penitentiam, cilicium, cinerem et jejunium, (quantus ibi fletus sine dubio audiebatur) et mutatur sententia. Unde S. Chrysost. hom. VI. in Matth. ait: « In sæcularibus judiciis quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris, non tamen effugies flendo supplicium. Hic vero si toto corde ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam, veniamque meruisti, etc. » Idem hom. V. de penitentia, tantam esse ait lacrymarum vim, ut extinguat ignem gehennæ: *Rogum, inquit, peccatorum extinguimus, non jam aquis multis, sed parvis cum lacrymis*: S. Bern. ait: *Neque mundus diluvio periisset, si ad lacrymas confugisset.*

Porro sicut peccata peccati, ita etiam ipsa peccata de lacrymæ, propterea vocantur spongia. Chrysost. in Psal. X. hom. II. *Peccata tua, inquit, in libro scripta sunt, spongiæ autem instar sunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte et obliantur, etc.* Exemplum refert Cæsar, lib. II. cap. X. de juvene adeo contrito, ut præ lacrymis peccata sua in confessione recensere non posset: itaque in scripto ea tradere jussus obtulit, quæ prorsus deleta divinitus apparuere; certumque indicium fecere, dimissa ei peccata esse. Quæro jam exte, si filium tuum, vel teipsum de sententia captis et acerbo mortis supplicio liberare per lacrymas posses, si debita tua omnia lacrymis eluere; quantum, quæso, lacrymarum et quam

libenter funderes? Potes hoc cum anima et peccatis tuis. Quis scit, utrum non etiam non imminuat virga Dei et gravis aliqua punitio? Habemus certe quod undique timeamus. De peccatorum nostrorum debitis, dubitare non possumus cur non igitur fugimus ad lacrymas, et prævenimus Deum? « Currat penitentia, inquit D. Chrysologus, serm. CLXVII. ne præcurrat sententia: ne judicemur judices nostri simus, demus nobis penitentiam, ut possimus auferre sententiam. » Hæc ille.

III. Docent, tempore prosperitatis et lætitiæ meminisse adversitatis et tristitiæ; siquidem in media triumphii sui pompa, cum audit sibi accini: *Hosanna, benedictus qui venit, etc.* lacrymas fundit: quod et olim insinuat Romanis triumphantibus. Triumphatori enim sequens currum aliquis acclamabat: *Respice post te, hominem memento te*, ut scribit Tertullian. in apologetico. Quod ipsum Christus verbis etiam docet Jerosolymam, cum ait: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, q. d. o si tu similiter in die pacis tuæ, meminisses belli!* Hæc enim differentia est inter sapientes et insipientes, quæ inter prudentes et fatuas virgines. Illæ de die providerunt sibi oleum pro futura etiam nocte et tulerunt in vasis suis, cogitabant enim fieri posse, ut oleum aliquando deficeret: non ita fatuæ, sed pro die tantum acceperunt oleum, de nocte nil cogitantes. Ita sapientes in die prosperitatis provident sibi de nocte adversitatis, nec toti se effundunt in lætitiæ: fatui vero minime, unde postea deficiente fortuna turpiter egent. In cujus rei figuram, quando prior natus est Esau, Jacob tenuit eum per plantam pedis, Gen. XXV. Mali enim per caput, id est, per principium apprehendunt peccatum, quod aridet quidem, sed postea tristitem sortitur finem: boni contra et prudentes per plantam, id est, per finem; cogitant enim quid mali sequatur post peccatum. Hoc certe Christus fecit, quia cogitavit, quam cito habiturus esset hostes Judæos, a quibus jam velut amicissimis honorabatur: illud vero Judæi, qui prosperitate sua elati, nihil somniabant de suo exterminio, ideoque incauti perierunt. Unde Jeremias propter hoc lamentatur super Jerusalem, Thren. I. *Sordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui* (in Hebr. idem verbum significat, plantam pedis et finem.) Accidit his, quod viatori, qui æstivo tempore fatigatus subter umbram arboris se recipit et in ea dormire incipit. Interim recedit ab eo umbra, et ipse solis radiis expositus manet, evigilansque æstuat, capitis cum dolore vel etiam febre aliqua. Ita qui fidunt secundis rebus, voluptatibus se dedunt, genioque indul-

gent, et in umbra prosperitatis relevandos se et mansuros putant: postmodum decepti vident se delusos, gravatos in conscientia et æstui infernali expositos. Vultu exempla? *Israelitæ sederunt manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, interim patatur eis vindicta a Deo, ut occidantur ex ipsis viginti tria millia, Exod. XXXII. Balthasar sedet in convivio jucundus, interim scribitur ei sententia mortis et exterminii, *mane, thecel, phares*, Dan. V. Quare qui decipi non vult, non extollatur in rebus prosperis, sed meminerit adversitatis: sequatur exemplum Italorum, qui vinum aqua miscent, et ideo non facile inebriantur, aut noxam corpori adducunt: non sequatur exemplum Germanorum, qui purum bibere volunt. Sanus recordetur, se aliquando ægrotaturum: dives aliquando egere posse: qui in dignitate constitutus, se aliquando servire posse: qui ridet, se aliquando ploraturum: qui vivit, se aliquando moriturum, etc. Temperet vinum hilaritatis, cum lacrymis mœstitiæ, et non facile ei nocebit.

IV. Docent misericordem simul esse et justum: (quod non exiguæ artis est in principe præsertim, qui instar citharædi chordas accordare debet, nec nimium laxare, nec tendere, ex Plut.) quia deflet calamitatem civitatis, non tamen remittit penam incorrigibili, sed eandem post annos quadraginta vastavit dirissime per Romanos. Duplici igitur facie seu oculo aspicebat civitatem, oculo misericordiæ primum, dum super eam flevit; et ita ei significationem dedit, ut fugeret a facie arcus, ne videretur esse immisericos et crudelis, ac delectari flagellis. Unde per hunc fletum præmonet, antequam puniat: præterea etiam medium adhibet, quo ad frugem errantes reducat, dum mox templum ingressus eiecit vendentes et ementes, instar boni patris, qui flagellat omnem filium, quem recipit, vel recipere cupit. Flagellum hoc erat misericordiæ, quo averteret ab eis scorpiones gehennæ; igitur conabatur omni modo impedire eorum punitiōnem, revocando eos ad penitentiam, et tardando usque ad quadraginta annos. Qua in re docet eos, qui aliqua potestate præditi sunt, primo, ut justitiæ severitatem antevertant, quantum fieri potest, et miseris compatiantur: quia, ut Seneca, in l. de clement. ait: *Tam turpe est principi multa supplicia, quam medico multa funera.* Sed potius moneant et terreant malos verberibus, ut sibi attendant, ne in severitatem justitiæ incidant. Dicit fornicaria quædam apud Oseam, c. II. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, etc.* Sed quid ad hæc Deus? Dixitne: Sine eam vader, cadere et perire? Non sane, sed: *Propter*

*hoc, inquit, ecce ego sepiam vias tuas spinis, et sepiam eam maceria: et semitas suas non inveniet.* Hoc ergo fecit etiam Judæis Dominus, eiciendo eos e templo, et deplorando eorum scelera. Quod si misericordia nihil proficit, justitiam arripit, et alteram faciem ostendit, ne injustus videatur, juxta id Psalm. XXXIII. *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala ut perdat de terra memoria eorum.* Et per hoc etiam docet animadvertere in delinquentes, præsertim refractarios et incorrigibiles: ut et justitiæ suus sit locus. Cujus exemplum præbent annales Franciæ de S. Ludovico rege, quod cum ipse preces ex psalmis recitaret, et aliquis, qui pro eo capitalis criminis gratiam petebat, intervenisset; rexque quasi aliud agens annuisset, mox vero incidisset in eum versiculum Psalmi CV. *Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore, protinus revocari eum jussit, cui gratiam concesserat, eamque irritari fecit, addens: Principem qui potest punire crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse, quam si ipse perpetrasset; ac pietatis opus esse, non sævitia, justitiam facere.* Nam, ut Seneca ait: *Nec pinguior mactari victima Deo potest, quam homo sceleratus: et recte dicitur: Qui parcit malis, nocet bonis.* Hac de causa ferunt Maximilianum I. imp. loca suppliciorum, sontibus destinata, venerandum cum hoc dicto: *Salve justitia, præterire solitum.* Refert hæc Cornel. a Lapide, in Penta-teuch. c. XXV. Num.

V. Docent miseris proximi condolendum esse, necnon peccatis ejusdem: sic enim Christus videns civitatem, civitatem, inquam, tam refractariam, et peccandi assuetam, ideoque macello destinatam flevit super eam. Et quod multo plus, super seipsum non flevit, quem sciebat, toties a Judæis tam ignominiose tractatum, et post paucos dies crucifigendum et occidendum, sed super Jerusalem. Et quod amplius est, flevit is qui offensus erat, et merito gaudere de hostium suorum interitu poterat, super inimicos suos: item, quod omnium maximum est, Deus super homines. Nos certe vermiculo afflicto non compatimur, quia natura eum longe excedimus. Deus nos infinite excedit, et tamen compatitur nobis. De M. Marcello refert S. Augustinus, l. I. de civit. Dei, quod cum Syracusas expugnaret, conscenderit in excelsam turrim, pugna exitum contemplaturus. Qui cum vidisset armorum sævitiam, et ingentes cædes, audisset clamores, et mugitus horribiles, strepitum corruentium ædificiorum, non potuit a lacrymis se continere, licet se de hostibus sumere supplicium sciret. Sed mirum non est, si homini compatiantur; hoc enim na-

tura postulat. At hodie ipse Deus, licet hostes sibi infensissimos jure puniendos sciret, non potuit tamen non iis condolere et collacrymari. Quo exemplo quid efficacius nobis exhibere poterat, ad commiserationem docendam? Homo igitur non sit, qui afflicto non condolet? Non dico amico tantum, sed et inimico. Hoc enim et David fecit, qui mortem Saulis, inimici maximi, acerbè deploravit. Hoc ipse Deus fecit. Quid ergo dicemus de illis, qui de malis, miseriis, et peccatis proximi sui, sive amici, sive inimici gaudent, rident, ea passim aliis cum applausu narrant et dilatant? Quid diceremus alicui, qui in littore stans, videns aliquos naufragium facere et perire, non modo non juvat, sed insuper ridet, alios ad spectandum advocat? Lætatur? Id nimirum, quod Daniel dixit falsis Susannæ accusatoribus: (Dan. XIII.) *Semen Chanaan et non Juda*, quia Chanaan ob patris sui denudationem lætabatur et ridebat, eamque aliis ostendebat, Judas contra compatiebatur fratri suo Joseph, et procuravit, ut extraheretur de cisterna, ut saltem venditus viveret, Gen. XXXVIII. S. Job talibus dicebat, c. XIX. *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?* Videbat enim ipse, quod solus Deus persequi hominem peccatorem sine commiseratione posset; siquidem ipse solus est sine peccato et prorsum impeccabilis: ac proinde sine compassione peccatorem persequi, et in ejus exitio lætari potest. Sed, pace tua, Job, erras vir sancte: nam Deus hodie pereuntibus compatitur et collacrymatur, non itaque hostes tui persequuntur te sicut Deus. Quare ergo dicemus: *Quare persequimini me sicut diabolus?* Ille enim est, qui in perditione malorum lætatur, applaudit, eos in æternum ridet et confundit. Illi in peccatoris interitu et damnatione dicunt: *Euge, euge*, Psal. LXIX. igitur *semen Chanaan*, semen diaboli sunt, qui de malis proximi lætantur: non semen Juda, id est, Christi et Davidis, qui inimicorum miseriis collacrymabantur. Vidimus hactenus pretiosum esse vinum, Christi lacrymas: *Venite igitur amici, et bibite, et inebriamini charissimi.*

## CONCIO IV.

DEFLENDAM FUISSE JERUSALEM ET ESSE PECCATOREM, CAUSE PLURBS.

I. Quia vidit condemnatam Jerusalem. — II. Quia Jerosolymitani nihil simile videbant. — III. Quia curationem respuebant. — IV. Quia insuper gaudebant. — V. Quia gaudium illorum brevissimum erat. — VI. Quia hæc omnia dilectæ olim civitati eventura erant.

## THEMA.

*Videns civitatem flevit super illam.* Luc. XIX.

Neminem nostrum latet, viros dignitate et eruditione claros non ita facile ad risum et fletum permoveri, publice præsertim. Unde Plato, de rep. dial. III. ait, lacrymas a viris claris auferendas esse, et mulieribus tantum tribuendas. Quid igitur est, quod in hodierno evangelio Dei Filius sapientia divina, flere super Jerusalem in magna hominum frequentia incipit, et adeo quidem, ut fletus et singultus vocem intercludant, et sententiam abrumpant, ut verba illa indicant: *Quia si cognovisses et tu! Et quidem in hac die tua, etc.* Si homo duntaxat fuisset Christus, facile daremus fieri potuisse, ut humani aliquid passus in lacrymas solveretur, cum eæ nobis invitæ sæpe suboriantur. Nunc autem et Deus erat, qui humanas passiones in manu sua tenebat, ut, nisi eo volente, prodere se non possent. Quibus igitur machinis expugnari tandem potuit Christi cor, ut posthabita dignitate sua in oculis multorum, lacrymis laxaret habenas? An putatis, auditores, lapides hoc potuisse, muros et parietes urbis Jerosolymæ, eo quod ipse dicat: *Non relinquent in te lapidem super lapidem?* Num templum Salomonis? Num palatia? Num hortos, quorum destructionem prævidebat et prædicebat? Non sane: numquid enim de lapidibus cura est Deo, si teste apostolo, nec de bobus est? Hominum igitur, non lapidum plangebatur ruinam. Atque ut S. Gregorii verbis utar, hom. XXXIX. in evangel. « Hoc semel exit, cum perituram civitatem esse nuntiavit. Hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos pervenisse considerat. Plangit enim eos, qui nesciunt, cur plangantur qui juxta Salomonis verba: Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. Qui si damnationem suam, quæ eis imminet, agnovissent, semetipsos cum lacrymis electorum plangerent. » Hæc Greg. Sed ne aliquis forte cogitet, causam hanc sufficientem non fuisse, cur Dominus Jerosolymæ et peccatorum omnium

ruinam deploraret, ostendemus fuisse plusquam sufficientem.

I. Quia Christus vidit in secreto Dei judicio dictatam et scriptam esse sententiam exterminationis et damnationis super Jerosolymam, adeoque paulo post advocandos esse carnifices ejus, Titum et Vespasianum, et tandem infernales quoque dæmones. Descendebat Dominus de monte Oliveti Jerosolymam, cum videns civitatem, fletet super eam, unde mirum non est, si in alto constitutus viderit aliquid, quod Jerosolyma in valle non videbat. Sic enim, qui in monte est, videt aliquando tempestatem advenientem a longe horribilem, quam non videt is, qui in valle est. Christus eo tempore versabatur in consilio deitatis altissimo, et videbat tempestatem procellosam, venturam super Jerusalem, infallibilis prognosticus; proinde non mirum, si tam flebilis eam describat verbis dicens: *Si cognovisses et tu.* Accidit aliquando ut rex quispiam a servo offensus statuatur et jure se illum igni exusturum: filius regis, qui forte hoc audivit, valde contristatur, præsertim si servum illum dilexit; nec potest præ dolore, vel certe non sine lacrymis id servo denunciare; sed flens suadet illi fugam, adeoque cum lacrymis rogat ut fuga sibi consulat. Ita factum legimus, I. Reg. XX. ubi Saul Davidem morti adjudicaverat et jamjam occidendum adduci præceperat. Audivit hoc Jonathas, qui diligebat Davidem, quod videlicet definitum esset a Patre suo ut interficeretur David. Contristatus ergo, cum lacrymis id Davidi significavit et fugam suasit. Ad eundem modum Christus videns a Patre suo definitum esse ut vastaretur et gehennæ traderetur Jerosolyma, cujus amore ille allectus de cælo ad eam descenderat: quomodo non contristari, quomodo sine lacrymis hoc Jerosolymæ denunciare poterat? Vidit Dominus duos illos ursos, Titum et Vespasianum de longe accurrentes e saltu, ad nequam illos pueros Elisæo (sibi scilicet) illudentes et dicentes: *Crucifigatur, dilacerandos*, IV. Reg. II. vidit eo ipso in loco, quo civitatem deplorabat, Vespasianum castra sua positurum, ad exterminandam urbem: vidit jam tunc cruces præparari innumeras perfidis Judæis, quorum quingenti singulis diebus circa civitatem in oculis Titi crucifigendi essent, ita ut spatium crucibus, et corporibus cruces defuturæ essent: vidit jam tunc, ingravescentem in urbe famem, qua urgente alii ultro excurrentes Romanis se dedituri essent; alii proprios filios coecturi et comesturi; alii viso cibo præ gaudio morituri: vidit alios innumeros, qui aurum deglutissent fuga absportandum, a Romanis

captivos et auri obtinendi gratia secandos atque exenterandos: vidit vallo et muro urbem undique claudendam, ut nemini prorsus exitus pateret: vidit eam et filios ejus ad terram prosternendos et projectorum mortuorum cadaveribus omnia fore plena: vidit comprehendendorum numerum fore nonaginta septem millia, mortuorum vero undecies centena millia: vidit et captivos nobilium numero quidem decem, ex ignobilium vero triginta uno venditum in denario: vidit templum speciosissimum incendendum et in cinerem redigendum, urbem totam diruendam: vidit denique, post hæc omnia supplicia, supplicium æternum, omnium horribilissimum, plerosque eorum æternis ignibus tradendos esse: vidit parari jam et accendi ipsis fornacem plusquam Babylonicam. Hæc igitur tot et tanta non deploranda sunt? Audite plorantem hæc ipsa Jeremiam, cap. XIV. *Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer.* Jam vero qui nosti o peccator, qui modo securus degis, Christum non videre de te similia? Non vereris, ne et tu aliquando in agone circumderis vallo peccatorum tuorum, et hostibus tartareis? Non metuis futurum, ne et in te lapis a lapide et compago membrorum dissolvatur? Ne in terram prosternaris? Ne viscera tua in lucem protrahantur? Ne captivus ducaris ad gehennam? Quid si et hoc jam hac hora de te videat Christus? Certe videt, nisi respicias.

II. Quia incolæ Jerosolymitani nihil simile videbant aut metuebant. Unde ait: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, ac propterea magis erant miserandi: sicut qui ardente domo dormit pertinaciter, aut in mediis hostibus. Dum Jonas veheretur in navi: *Facta est tempestas magna et navis periclitabatur conteri.* Unde omnes: *Timuerunt et clamaverunt ad Deum suum, et miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare ut alleviaretur ab eis:* et quid inter hæc Jonas? *Descendit ad interiora navis*, ait textus, Joan. I. *et dormiebat sopore gravi.* Unde gubernator ad eum ait: *Quid tu sopore deprimeris? Surge et invoca Deum tuum.* En miseriam peccatorum. Dum alii omnes de salute sua metuunt, ipsi se ad somnum componunt, cum maxime omnium vigilare deberent: atque ut securius dormiant et minus excitentur, descendunt ad interiora navis, id est, lucem et strepitum fugiunt, somni illecebras, uti tenebras et quietem quærunt, hoc est, nolunt audire disciplinam et correctionem, nec videre iram Dei supra se tonantem: sed ea tantum quærunt, quæ vitiis suis blandiuntur. Ita adamus in